OBSERVATIONUM BOTANICARUM,

PARS II.

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

S. C. R. A. MAJESTATI IN SUPREMO DE RE METALLICA & MONETARIA HUNGARIÆ INFERIORIS CAMERGRAFIATUS DICTO OFFICIO A CONSILIIS, CHEMIÆ METALLURGICÆ PROFESSORIS, ET SOCIETATIS AGRICULTURÆ STYRIACÆ MEMBRI,

OBSERVATIONUM BOTANICARUM,

ICONIBUS AB AUCTORE DELINEATIS ILLUSTRATARUM.

PARS II.



VINDOBONÆ
EX OFFICINA KRAUSIANA.

MDCCLXVII.

VIRO CELEBERRIMO

JACOBO CHRISTIANO SCHÆFFER

THEOL. & PHIL. DOCTORI, & ECCL. EVANG. RATISB. MINISTRO; REGIÆ DANIÆ & NORWEGIÆ MAJESTATI A CONSILIIS; GYMNASII ACADEMICI ALTONENSIS PROFESSORI HONORARIO; ACADEMIÆ IMP. NAT. CURIOS. PETROPOL. LONDIN. BEROL. MONAC. NEC NON SOCIETATIS BOTAN. FLORENT. GERMANIC. GOETTING. LIPSIENS. &c.

MEMBRO;

DE HISTORIA NATURALI MERITISSIMO;

BOTANICO EXIMIO;

ALTERAM HARUM OBSERVATIONUM PARTEM

Dicat

NICOL. JOSEPHUS JACQUIN.

Quum in prima harum Observationum parte, me non corrigente, irrepserunt multa errata typographica, pleraque hæc corrigenda duxi atque indicanda in hoc schemate.

pag. 2.	*lin.* 9.	*pro* decimnm	*lege*	decimum
-	- 15.	- eodemque	-	eædemque
-	- 17.	- Manihos	-	Manihot
3.	- 9.	- albo	-	alba
7.	- ult.	- Per:	-	sem:
-	-	*post* penicilliforme	*adde*	Per: Bacca subglobosa, nitida, puncto umbilicato & sulco longitudinali notata, unilocularis.
8.	- 19.	*pro* ortus	*lege*	ortos
11.	- 4.	- fructicis	-	fruticis
13.	- 3.	- Tab. 1.	-	Tab. 6. Fig. 1.
	- 4.	- subquamatis	-	subsquamatis
	- 12.	- Atamarum	-	Atamaram
	- 25.	- riticulatæ	-	reticulatæ
17.	- 24.	- sirmus	-	firmus
	- 31.	- capsula	-	capsulæ
21.	- 3.	- Germinavit	-	germinavit
	- 8.	- dorem	-	odorem
22.	- 29.	- Lapponiam	-	Lapponicam
23.	- 4.	- delegatur	-	detegatur
	- 33.	- Casarum	-	Cæsarum
24.	- 22.	- redduntur.	-	redduntur,
	- 24.	- charactar	-	character
25.	- 28.	- Primla	-	Primula
26.	- 8.	- calycibus obtusis	-	calycibus tubulosis, obtusis.
	- 27.	- houd	-	haud
27.	- 8.	- vivere	-	virere
28.	- 23.	- corollubis	-	corollulis
29.	- 6.	- sui	-	sui &
30.	- 23.	- nunc reflexos nunc subreflexos	-	nunc rectos, nunc subflexuosos,
31.	- 10.	- fibrosa	-	fibrosa
	- 12.	- in æqualia	-	inæqualia
	- 27.	- instructum	-	instructam
	- 29.	- obversæ	-	obverse
32.	- 8.	- omissam	-	omissum
	- 22.	- instructæ	-	instructa
	- 33.	- videdatur	-	videatur
	- 30.	- historicæ	-	historiæ
34.	- 33.	- marescens	-	marcescens
38.	- 21.	- effectus	-	effœtus
39.	- 15.	- arei	-	arci
	- 24.	- membranacea	-	membranaceæ
41.	- 18.	- ætate	-	æstate
42.	- 22.	- levi	-	lævi
	- 27.	- mucosis	-	muscosis
	- 30.	- frutescentibus	-	fructescentibus
	- 32.	- prime	-	primo
44.	- 14.	- calibus	-	caulibus
	- 16.	- distica	-	disticha
46.	- 17.	- cuminatis	-	acuminatis
	- 28.	- crustacens	-	crustaceus





OBSERVATIONUM BOTANICARUM

PARS II.

MYRTUS CARYOPHYLLATA.

MYRTUS pedunculis trifido-multifloris; foliis obovatis. *Linn. ſp. pl. II. p. 675.*

Caryophyllus aromaticus Indiæ occidentalis foliis & fructu rotundis. *Pluk. alm. 188. t. 155. f. 3.*

Merito certare de præſtantia hæc Myrtus cum elegantiſſimis adſpectu arboribus poteſt. Frequens nunc in quibusdam Martinicæ locis montoſis vereque ſylveſtris occurrit. In Guadeloupa & Grenada inſulis reperitur vulgaris. Ex Indiis tamen Orientalibus illuc fertur fuiſſe olim advecta; unde ortum creditur, quod hodiedum apud Gallos obtinet, *Bois d' Inde* ſive Arboris Indicæ nomen. Increſcit lente; ac floret tarde, idque bis in anno. Ætate acquirit craſſitiem & altitudinem plus quam mediocrem. Truncus ſpecioſus recta erigitur, abitque ſemper in comam pyramidalem longiſſimam denſam pulcerrimamque. In junioribus cortex fuſceſcit; dein cinereus evadit. In ſenio-

nioribus totus albus eſt; aut albidus ſimulque maculis amplioribus flavis variegatus. Adeo hic eſt externe lævis & æquabilis, præſertim in adultis, ut etiam tangendo, omnino non adeſſe, ſuſpicari quis poſſet. Hinc illinc ab arbore ſecedens, perque ſegmina dependens, ſui videtur redintegrationem indicare. Saporis eſt adſtringentis, nec aromate omni deſtituitur. Materie duriſſima, rubra, compacta, ponderoſa, & politura idonea, utuntur incolæ ferri loco ad fabricandos dentes in moletrinarum ſaccharinarum rotis, & ad ſimilia alia, quæ ſuſtinere diu attritum validum debent. Rami juniores acute tetragoni virent. Folia numeroſa, coriacea, & integerrima figuram habent ex oblongo obovatam obtuſamque. Læto nitent virore, & venis transverſis anaſtomizantibus abundant. Baſis leviter attenuata deſinit in petiolum brevem. Sibi mutuo ſemper opponuntur. Odore aromatico & ſuaviſſimo, quo Laurum nobilem longe exſuperant, & ſapore adſtringenti quidem ſed grato ſimul, merentur paſſim ab incolis admiſceri culinariis cibis, quibus gratum conciliare ſaporem cupiunt. Laurinis foliis breviora ſunt plerumque, ſed volumine ita variant etiam, ut viderim illa poſſideamque ſemipede longiora. Floribus parvis & cum levi rubedine albicantibus ſuccedunt baccæ rotundæ, piſi magnitudine vel paulo majores, calycinis reliquiis coronatæ, odore ac ſapore aromatico præditæ, quæ incolis etiam in uſum culinarium cedunt. Singulæ ſemina ſeptem vel octo circiter continent. Nomen proprium apud Gallos non acceperunt, ſolo nomine *Graines du Bois d'Inde*, ſive ſeminum Arboris Indicæ ſalutatæ. Miſſæ a me in Europam brachiali craſſitie arbuſculæ proximis annis in caldariis Cæſareis bene habuerunt; poſtea tamen, frigore, opinor, hyberno correptæ, perierunt omnes.

BEURRERIA SUCCULENTA.

Tab. 26.

BEURRERIA fructibus ſucculentis, integris. *Jacq. hiſt. amer. pag.* 44.
Ehretia foliis ovatis integerrimis lævibus, floribus ſubcorymboſis, calycibus glabris. *Linn. ſp. pl. 3. p. 275.*

Ar-

Arbufculæ hujus Synonymiam defcriptionemque jam dedi in ftirpium americanarum Hiftoria. Nunc iconem fifto ramuli florentis e rupeftri ftirpe Martinicenfi decerpti; cui femen adjicitur utrinque confpiciendum. Obfervo, in determinatione Linnæana dici folia ovata & lævia, calycesque glabros. Folia nec ovata femper funt, nec perpetuo lævia. Falleret ergo hæc determinatio, multiplicaretque incaffum fpecies. Calycum glabrities eft illi cum congeneribus communis, nihilque determinat.

ÆGIPHILA MARTINICENSIS.

Tab. 27.

ÆGIPHILA.

In Martinica ad margines fylvarum montofarum, inque frutetis vicinis, haud infrequens crefcit hic frutex, humanamque altitudinem non admodum excedit, fæpe multo humilior. Capræ & reliquum pecus folia ramosque novellos avide appetunt. Ortum hinc eft apud incolas nomen *Bois Cabril* five Fruticis caprarum aut capris amati, quod græce in Ægiphilam verti. Ex hujus fimilitudine Beurreria fucculenta fuum etiam *Bois Cabril batard* feu Arbufculæ caprarum fpuriæ titulum acquifivit. Ramos juniores glabros & tetragonos ex oppofito ad bipollicaria intervalla ornant folia glaberrima, integerrima, ex lanceolato-ovata, in acumen fuperne attenuata, breviter petiolata, tres quatuor aut quinque pollices longa. Ex horum ferme omnium axillis racemi oriuntur foliorum fere longitudine, ftricti, fuperiores fenfim breviores, foliofi, hinc compofiti ex racemulis oppofitis corymbofis divifisque. Ramulum quoque racemus terminat. Floris corolla inodora albet. Bacca pifo major mollisque colorem habet ex flavo rubentem, pulpamque paucam; quia femina magna funt. Horum numerum excidit annotare; at, opinor, quaternum effe. Plura certe non funt, nec duobus pauciora. Generis character fequitur.

Cal. Perianthium monophyllum, campanulatum, laxum, parvum, perfiftens; ore quadridentato.

Cor. monopetala. Tubus cylindraceus, tenuis, erectus. Limbus quadrifidus: laciniis oblongis, obtusis, planis, tubo æqualibus, patentissimis.

Stam. Filamenta quatuor, capillaria, erecta, corollam superantia, orta in parte inferiore tubi. Antheræ quadratæ, incumbentes.

Pist. Germen parvum, in fundo corollæ. Stylus capillaris, longitudine corollæ, semibifidus. Stigmata simplicia.

Per. Bacca subrotunda, unilocularis.

Sem. quatuor?

CONVOLVULUS DISSECTUS.

Tab. 28.

CONVOLVULUS foliis palmatis; lobis septenis, dentato-sinuatis; caulibus petiolisque pilosissimis.

E seminibus in America a me collectis Viennamque adlatis læte germinavit in caldariis Cæsareis hæc planta floruitque jam sæpius. Nec occurrit certus collectionis locus. Biennii ætatem apud nos nedum est transgressa; nec semina matura tulit. Sed mansit adlatis integritas, ut sata novas quotannis plantas potuerint producere huc usque. Caules ramosissimi volubiles teretesque pilis dense vestiuntur albidis rigidiusculis longisque. Petioli longi unum alterumve pollicem itidemque pilosi folia sustinent profunde palmata, utrinque glabra, composita e lobis septem lanceolatis, apice attenuatis, per lacinias sinuatis varieque dissectis; quorum inferiores utrinque duo breviores sunt, ac minus profunde inciduntur. Ex alis foliorum egreditur pedunculus solitarius, basi pilosus, cæterum glaber, folio brevior; cui flos insidet unicus, calyce oblongo nitidoque, corolla patente albidaque, & stigmate globoso didymoque, præditus.



SCU-

SCUTELLARIA HAVANENSIS.

Tab. 29.

SCUTELLARIA foliis cordato-ovatis, crenatis, floribus axillaribus; labio corollæ utroque trifido. *Jacq. hist. amer. pag. 172.*

TEUCRIUM CUBENSE.

Tab. 30.

TEUCRIUM foliis serrato-incisis, glabris, in petiolum attenuatis; floribus pedunculatis, solitariis. *Jacq. hist. amer. pag. 172. tab. 183. fig. 74.*

EUPHORBIA GRAMINEA.

Tab. 31.

EUPHORBIA dichotoma; foliis oppositis, integerrimis, lanceolatis; pedunculis dichotomis; caule erecto. *Jacq. hist. amer. pag. 151.*

Prædictarum trium stirpium Americanarum figuras publicas facio, quo discrimen earundem a numerosis congeneribus facilius innotescat, & firmetur veritas. Euphorbiæ ac Scutellariæ icones sistunt plantas in solo natali crescentes. Teucrii vero in caldariis Cæsareis culti delineatio spectatur. Scutellariam integram tres quatuorve similes ex eadem radice orti rami componunt. Teucrii folia apud nos quam in natali solo magis variant, quare specimina variantia figuræ subjeci. Colitur facile. Æstatem sub dio agit, floretque integram. Semina perficit matura & fœta. Euphorbiam dixi gramineam, quia in pratis inter gramina crescit, quæ debilem illam sustentent. Icon exhibet ramum duntaxat dichotomæ plantæ. Corollam discissam explicatam & volumine auctam adjunxi, ut melius conspici queant ejusdem pili binæque laciniæ, quas solas habet.

PSIDIUM PYRIFERUM.

PSIDIUM foliis lineatis, obtusiusculis; pedunculis unifloris. *Linn. sp. pl. 1. p. 672.*

Psidium fruticosum, foliis ovatis venosis, fructu majore. *Brown. hist. jam. 1. p. 238.*

Malo punicae affinis pomifera, flore pentapetalo, albo, fructu nullis dissepimentis interstincto, ex toto esculento majore albo. *Sloan. hist. 2. p. 163.*

Guajava alba dulcis. *Comm. hort. 1. p. 121. t. 63.*

Guajava foliorum angulis quadrangulis, fructu oblongo. *Trew. Ehr. tab. 43.*

Guajavos fructu pallido dulci. *Burm. Zeyl. 112.*

Guajavus domestica. *Rumpf. amb. 1. p. 140. t. 47.*

Pela. *Rheed. mal. 3. p. 31. t. 34.*

Arbusculae sylvestris altitudo vulgaris est septem octove pedum, maxima & rarior duodecim. Culta in hortis Caribaeis, nutritaque in fertili solo, malum Europaeam mediocrem aequat, & sexpedali insistit trunco, cui sesquipedalis est ambitus. Cortex laeviusculus atque ex flavescenti fuscus maculis majoribus cinereis variegatur. Materies durissima simulque lenta ad fabricandos in jugis bovinis arcus aliaque id genus adhibetur, ad focum instruendum etiam aptissima. Rami sunt numerosi, juniores tetragoni. Folia ovata, obtusa, integra, glabriuscula, per venas parallelas in dorso protuberantes undulata, breviter petiolata, & duos tresve pollices longa, opponuntur mutuo. Pedunculi uniflori, solitarii, & breves, florem sustentant candidum, ac odoratum. Fructus glaber, odore proprio praeditus, in diversis externe flavus sulphureus vel albescens, subrotundus vel oblongior, pro loci diversitate ovum gallinaceum aequat vel superat. Cortex unam lineam alteramve crassus, fragilis, carnosusque, pulpam solidiusculam, seminibus osseis repletam, coloris carnei, dulcem, aromaticam, gratamque continet. Ab Europaeis non avide minus quam ab incolis comeduntur. Insuetos nimia copia assumpti modico alvi profluvio plectere solent. Ipse ego non raro, siticulosus in itinere & po-

tu

tu carens, complures ad ſatietatem comedi, nec expertus noxam vel mutationem fui. Sunt, qui integros ipſo cum cortice aſſumunt, quem abjiciunt delicatiores. Semina autem vix ſeparabilia ſunt. In menſis crudi apponuntur. Fiunt etiam ex illis condimenta cum ſaccharo varia. Anglis vocatur *Guava-Tree*; Gallis *Goyavier du pais* ſive Guajava indigena. In inſulis Caribæis frequens occurrit. In pratis in ampla ſæpe fruteta extenditur, ipſaque ſic peſſumdat paſcua: atque unicum in horum limitibus Pſidium creſcere, ſufficit, ut iisdem paucos intra annos veſtiantur tota; non quod ſingulari fertilitate polleat arbuſcula, ſed quia digeſtionem eludentia ſemina quaquaverſum a vaccis, quæ fructus avide devorant, deponuntur intacta, ibidemque germinant. In hortis Cæſareis floruerunt aliquoties, at fructus dederunt nanos, nec bene maturos.

PSIDIUM POMIFERUM.

PSIDIUM foliis lineatis, acuminatis: pedunculis trifloris. *Linn. ſp. pl. 2. p. 672.*

GUAJAVA alba acida, fructu rotundiore. *Pluk. alm. 181. t. 193. f. 4.*

CUAJAVUS agreſtis. *Rumpf. amb. 1. p. 142. t. 4.*

MALACKA pela. *Rheed. mal. 3. p. 33. t. 35.*

Habitu convenit cum præcedenti. Fructus colore pallidiori ſubſulphureo, qui in pulpa æque ac in cortice obtinet, & ſapore acido vel nullo, a Pſidio pyrifero diſcriminatur. Figura eadem eſt. Rarius occurrit. Appellatur a Martinicenſibus *Goyavier de Cayenne*, quia ex Cayenna translata creditur. Vix ſolet comedi.

BARLERIA HIRSUTA.

Tab. 32.

BARLERIA inermis; foliis lanceolato-ovatis, integerrimis; caule hirſuto.

Justicia dianthera; foliis lanceolato-acuminatis; floribus subspicatis; bracteis setaceis; caule hirsuto. *Jacq. hist. amer. pag.* 4.

In adversariis invenio, me etiam observasse in hujus fruticis flore stamina sterilia duo ultra fertilia, uti in subsequente mihi dicta Justicia nitida. Aptius itaque ad Barlerias transfertur utraque. Ad meliorem plantæ cognitionem sculpi hirsutam curavi, quacum habitus nitidæ congruit.

ASCLEPIAS QUADRIFOLIA.

Tab. 33.

ASCLEPIAS caule simplici; foliis quaternis ternisve, infimis oppositis.

Apocynum humile floribus odoratis dilute rubentibus: foliis oblongis utrinque acuminatis, ad genicula ternis vel quaternis. Clivis solo fertili præditis Majo floret. *Clayt. num.* 866.

Duo specimina sicca ad me transmisit vir amicissimus Laurentius Theodorus Gronovius, qui defuncti eruditissimi patris nunc possidet herbariam supellectilem ditissimam. Missum utrumque specimen convenit adamussim. Delineato dumtaxat alterum sesquipollice longius, geniculo hinc inferne augetur uno, quod folia etiam opposita parvula delineatis oppositis similia decorant. Caules ex una radice forte plures, herbacei, glabri, teretes, recti, simplicissimi, circiter pedales exsurgunt. Folia ad intervalla duorum & ultra pollicum ex caule exeunt. Infima opponuntur, quorum par unum vel duplex. Cicatrices annulares haud procul a radice conspicuæ foliorum præteritorum rudimenta ostendunt. In medio caule folia majora quaterna visuntur, ortu petiolorum inæquali. Caulis summus in duos pedunculos umbellatos abit, quibus folia opposita supponuntur, & quorum alter ornatur foliolis oppositis ipse. Folia omnia sunt petiolata, oblonga, glabra, nervo medio subtus pubescente, basi attenuata, infima obtusa, reliqua acuta. Umbellæ videntur erigi. Flos characterem congenerum habet, nectariis quoque corniculatis. Corollæ apud Claytonem sunt

odo-

odoratæ & dilute rubent. Alterum ſpecimen flores clauſos omnes habet. Hoc icone exhibui cum minori erroris metu. Creſcit in Virginia, unde ſpecimina Clayton miſit.

SAXIFRAGA ORIENTALIS.

Tab. 34.

SAXIFRAGA foliis radicalibus rameisque quinquelobis ſeptemlobisve, ſummis integerrimis bifidisve; caule ramoſiſſimo, baſi procumbente.

Geum orientale, rotundifolium, ſupinum; flore aureo. *Tourn. cor. pag.* 18.

Exemplar ſiccum hujus *Saxifragæ* mecum communicavit idem clariſſimus *Gronovius*, quod adſcripto titulo Tournefortiano donaverat quondam Ioanni Friderico patri Vaillantius. Mihi videtur a Linnæanis congeneribus diſtincta ſpecies. Cum Geo Orientali, Cymbalariæ folio molli & glabro, flore magno albo, cujus iconem in itinere Orientali exhibuit magnus Tournefortius, aliquam præ ſe fert ſimilitudinem. Differt tamen ab hoc glabritie nitida omnium (nec calyce excepto) partium, florum colore parvitate & expanſione, ſtaminibus longioribus, & ramis florigeris magis elongatis: niſi has inducere mutationes poſſit ſoli forte diverſitas. Icone Vaillantianum miſſum ſpecimen expreſſi, quod partem plantæ dumtaxat eſſe, conjicio. Deſcriptionem reliquam figura indicat.

RAUVOLFIA TOMENTOSA.

Tab. 35.

RAUVOLFIA tomentoſa. *Jacq. hiſt. amer. pag.* 48.

Quo perſpiciatur hujus Rauvolfiæ diverſitas ab hirſuta nitidaque meis, quarum hanc Linnæus aſſumpſit, illam cum tomentoſa confudiſ-

ſe mihi quidem videtur, ejusdem figuram Botanicis offero. Hirſutæ autem flos adſtat ad latus ex plantis majoribus deſumptus.

HIBISCUS SABDARIFFA.

HIBISCUS foliis ſerratis; inferioribus ovatis, indiviſis; ſuperioribus tripartitis; caule inermi; floribus ſeſſilibus. *Linn. ſp. pl. 14. p. 978.* Ubi vide ſynonymiam.

Colitur in hortis Caribæarum, in quas translata dicitur ex Guineenſi Africæ regione; unde etiamnum apud Gallos *Ozeille de Guinée* ſive Acetoſa Guineenſis vocatur. Duplex ibidem varietas occurrit; altera, quæ calycibus gaudet ſanguineis vel ſaturate rubris; altera, quæ ex viridi albentibus. Sunt autem carnoſi, craſſi, ſucculenti, rigidi, & fragiles. Caules colorem calycis magis minusve ſequuntur. Planta ipſa annua eſt, & humanam altitudinem adipiſcitur. Caret aculeis, quibus Hibiſcus cannabinus armatur; quocum habitu proxime convenit. Quoniam vero ille in Europæis caldariis non infrequens eſt, deſcriptione ulteriore ſuperſedeo. Geminatus calyx, grato præditus acore, fere ſola pars plantæ eſt, quæ trahitur in uſum; capſula enim plerumque abjicitur. Calyces tum demum carpuntur, quando fructus ſummum incrementum acquiſivit. Crudi quidem non comeduntur. Cocti in aqua per octo circiter horæ minuta, leviterque exſiccati, apti evadunt omnis generis conditurae, quæ ſapore ribeſia Europaea imitatur, & pro adhibitorum calycum ratione ex albo rubrove coloratur. Requirunt ad dulcedinem vim ſacchari magnam. Jus concretum dant ſapidiſſimum, quod Europæum tranſitum, ſuſtinet incorruptum. Succus expreſſus, fermentatus, ſaccharoque ſoporatus, vinum haud ingratum, rubrum albumve præbet, at vix menſem duraturum. Vocatur a Gallis *Vin d'Ozeille* Vinum Acetoſæ, ab Anglis *Sorrel Cool-Drink* Potus refrigerans Acetoſæ. Cæterum magni fiunt in Caribæis omnia inde parata condimenta, in menſisque paſſim apponuntur.

Sa-

Sapida enim ſunt, valideque refrigerant; adeoque ſub cœlo hoc æſtuante tantum ad guſtum conferunt, quantum ad ſanitatem.

BEGONIA OBLIQUA.

BEGONIA. *Linn. ſp. pl. 1. p. 1497.* Ubi vide ſynonymiam.

Occaſione Acetoſæ præcedentis etiam hujus Acetoſæ ſylveſtris (ita enim Gallicum nomen *Ozeille des bois* ſonat) mentionem facere volui. Eſt autem planta elegantiſſima, quæ in Martinicæ montibus umbroſis & udis paſſim creſcit. Inveni quoque in ipſis humentibus ſaxis & rupibus ad torrentes loco aprico. Eſt bipedalis, ſucculenta, annua forte vel biennis, patula, adſpectu decora. Habitu admodum variat, ita ut Plumerianæ diverſæ ſpecies loco magis minusve udo vel aprico ortum debeant. Folia ſucculenta & acida a quibusdam acetoſæ hortenſis in modum in cibis adhibentur.

HIBISCUS ESCULENTUS.

HIBISCUS foliis quinquepartito-pedatis; calycibus interioribus latere erumpentibus. *Linn. ſp. pl. 19. p. 980.*

Hibiſcus ramoſus, hirſutus; foliis lobatis, irregulariter crenatis; fructu longiori. *Brown. jam. 3. p. 285.*

Alcea maxima, malvæ roſeæ folio, fructu decagono recto craſſiore breviore eſculento. *Sloan. hiſt. jam. 1. p. 223. t. 133. f. 3.*

Alcea americana annua, flore albo (flavo potius) maximo, fructu pyramidali ſulcato. *Comm. hort. 1. p. 37. t. 29.*

Okra. *Kalm. it. 2. p. 209.*

Quingambo. *Marcgr. bros. 31.*

Annuus hic Hibiſcus Caribæo vocabulo apud Gallos *Gombo* audit. Angli *Okro* vocant. Humanam rarius altitudinem aſſequitur. Diſpeſcitur in ramos paucos. Folia ampla & ſubhirſuta ſunt. Flores ma-

maximi atque sulphurei fructus producunt decemsulcatos, villosos, ex conico oblongos, & duos tresve pollices longos. Hi immaturi viridesque, quacunque magnitudine, aqua concocti, & dein leviter exsiccati frigefactique, in duas partes æquales transversim una cum seminibus contentis discinduntur; dein juxta invicem erecto situ in lance ordinati, & cum aceto oleo sale ac pipere conditi, æstimatissimum incolis nec Europæis temnendum cibum præstant. Offertur tamen nauseosi quiddam oculis noviter advenientis Europæi, dum ex orbe ad os usque comedentis fila mucosa continuo tractu fructum prehensum sequuntur: est enim glutine lentissimo refertus. Jusculis carnium parva copia optimo cum spissationis effectu immiscetur. Ingreditur porro varia barbarorum fercula. Sponte crescit in Caribæis. In caldariis Cæsariis facillime colitur, & fructus maturos largitur.

IPOMOEA EUSTACHIANA.

Tab. 36.

IPOMOEA foliis trilobis, cordatis; pedunculis bifloris.

Crescentem vidi hanc Ipomoeam passim in sepibus apricis inter Opuntias in insula sancti Eustachii, nec alibi. Cum Linnæana Ipomoea triloba quam maxime congruere videtur: distinguunt præprimis pedunculi biflori, nec triflori, & color corollæ saturate purpureus, nec violaceus. Caules sunt volubiles. Folia acuta. Petali infundibuliformis laciniæ acutæ & breves. Tota planta glabra. Septembri florentem inveni. Capsulas non vidi, nec semina.

CECROPIA PELTATA.

Tab. 46. fig. 4.

CECROPIA. *Linn. sp. pl. 1. p. 1449.* Ubi consule synonymiam.

Crescit hæc arbor, habitu suo singulari eminus facillime distinguenda, in plerisque caribæis & in adjacente continentis Americanæ

par-

parte, præſertim in ſylvis montanis, ad altitudinem triginta vel quadraginta pedum. Truncus & rami, in quos paucos diſpeſcitur, toti externe annulis ad varia intervalla circumſcribuntur, qui ſeptis membranaceis reſpondent transverſis. Inter hæc ſepta illi prorſum cavi ſunt, omnique medulla deſtituuntur. Quare, ſepta ſi demis, haud inepte tormenta bellica truncus, rami tubas referunt. Hinc Galli *Bois à canons* ſive Arborem tormentariam, Angli *Trumpet-Tree* ſeu Arborem tubarum appellant. Truncus raro pedem diametro æquat, plerumque multo tenuior. Cortex albicat. Folia ad extremitates ramorum, alterna quidem, at confertim naſcuntur, pauca ſemper, circiter decem. Prodeuntibus novis, abſcedunt ſeniora. Folium ante expanſionem membrana conico-acuminata, latere longitudinali integro dehiſcens, & caduca operit. Sunt autem maxima, umbilicata, ſubrotunda, facie ſcabra, ſubtus tomento incano veſtita (nervo tamen medio veniſque majoribus etiam ibidem ſcabriusculis), diametri plus quam pedalis, ſemiſeptemfida: lobis ſubovatis, obtuſiusculis, integris, medio maximo, lateralibus gradatim minoribus; ſinubus obtuſis. Inſident petiolis ſesquipedalibus, teretibus, ſtriatis, & ſcabriuſculis. Scatent ſucco aqueo, ad aëris attactum nigricante, & lintea fœdis maculis tingente. Carpta ex arbore mox exſiccantur, criſpantur, & fragilia evadunt. Fructificatio hujus arboris omnium eſt cognitu difficillima. Floſculi minimi & denſa compages hanc difficultatem creant. Horas perdidi in iſtius examine, laſſavique non ſemel oculos armatos. Nihil ſcripto notavi quam quod erat ex ſæpius repetita hac inquiſitione mihi viſum certiſſimum. Invenio in adverſariis characterem incompletum ſequentem, qui fortaſſe fœminæ eſt.

Pedunculus axillaris, ſolitarius, teres, duos tresve pollices longus, pendulus, amenta plerumque quatuor, rarius quinque, teretia, ſeſquipollicaria vel bipollicaria, & denſe imbricata ſuſtinet.

Hæc amenta involvuntur ſpatha communi, oblonga, obtuſa cum acumine, monophylla, longitudinaliter dehiſcente, decidua.

Perianthium proprium infundibuliforme, oblongum, erectum, apice bifido: laciniis subrotundis, obtusis, concavis, parvis, erectis.

COR. nulla.

STAM. nulla. Corpuscula duo, subrotunda, minima, utrinque calycis incisuris insidentia, caduca. An Antheræ? An Filamenta minima?

PIST. Germen ovatum, didymum, parvum. Styli nulli. Stygmata simplicia.

PER. - - - - - - - - - - - - - - -

SEM. - - - - - - - - - - - - - - -

Vidi alias arbores, in quibus spathæ includebant viginti amenta pluraque, forte mares. Figura exhibet descriptam fructificationem spatha contentam.

CAMPANULA BARBATA.

Tab. 37.

CAMPANULA capsulis quinquelocularibus, obtectis; caule simplicissimo, subunifolio; foliis oblongo-lanceolatis; corollis intus barbatis. *Linn. sp. pl. 22. p. 236.*

Campanula foliis Echii, floribus villosis. *Bauh. pin. 94. prodr. 36. t. 36.*

Campanula alpina asperior, foliis Echii, flore magno villoso. *Pluk. phyt. 153. f. 6.*

Rapunculus montanus. *Bauh. hist. 2. p. 808.*

Ex radice fusiformi, tenui, quadripollicari, plus quam annua, plerumque simplici, vel abeunte etiam in duo capita aut tria, caulis assurgit sesquipalmaris, teres, erectus, apice nutans leviter, foliis duobus aut unico aut tribus ornatus, pilosus, & simplicissimus. Hunc folia radicalia circumdant plura, ex oblongo lanceolata, basi sensim valde attenuata, sessilia, leviter crenata, obtusiuscula, scabra, pilosa, duos tresve pollices longa. Folia caulina radicalibus sunt simi-

mi-

milia, ſed multo minora; cujusmodi etiam, ſemper decreſcentia, cuilibet pedunculo ſingularia ſubjiciuntur. Flores cærulei, inodori, externe glabriuſculi, interne præcipue ad limbum villis laneis barbati, nutantes, in qualibet planta quatuor, quinque, vel ſex, ad ſummitatem caulis per pedunculos proprios biſtipulares locantur. Calycis hiſpidi ſinus reflectuntur. Caulem tam folioſum, qualem delineat in Prodromo ſuo Caſpar Bauhinus, in Auſtria non vidi; in cujus pratis ſubalpinis non infrequens provenit.

LOASA URENS.

Tab. 38.

LOASA. *Adans. fam. vol. 2. pag. 501. ?*
Ortiga Chilenſis urens Acanthi folio. *Feuillée Journ. vol. 2. pag. 757. tab. 43. ?*

Planta, Viennæ culta, elegans & annua, ex radice alba, digitum minimum craſſa, fibroſaque exſurgit. In ramos patulos ſubdividitur. Tota aculeis rigidioribus, nitentibus, ſubfuſcis, atque urticæ adinſtar urentibus armatur. Caules ſunt teretes, ex albo virent, & ſparſim lineolis fuſcis longitudinalibus brevibusque notantur. Folia ſunt pinnatifida, petiolata, inordinate alternantia, aſpera, obtuſa; laciniis pinnatifidis ipſis, dentato-ſinuatis, in ſuperioribus minus diviſis, cæterum valde inæqualibus. Summa autem folia tantummodo ſinuata ſunt. Rami extremi omnes evadunt laxiſſime racemoſi. In his pedunculi pollicares ac ſolitarii æque e regione vel ad latera petiolorum quam hos inter, nullis ſuffulti ſtipulis, enaſcuntur. Flores inodori & ſtructuræ elegantis gaudent charactere ſequenti, quo genus ſibi proprium vindicant, quod Loaſam vocavit Adanſonus.

Cal. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens, ſuperum: foliolis lanceolatis, acuminatis, patentiſſimis, lateribus reflexis, piloſis.

Cor. Petala quinque, obovata, cucullata, magna, baſi in ungues attenuata, ſubpiloſa, patentiſſima tandemque reflexa.

Nectarii foliola quinque, cum petalis alternantia, conniventia in conum acutum, calyce paulo breviora, lanceolata, rugoſa, antice filamentis duobus ſterilibus ſtipata ſingula.

Stam. Filamenta numeroſa, ſubulata, nectario longiora, in expanſione floris erecta, poſt exploſionem pollinis ſucceſſive reflexa, ad quodlibet petalum 15. ---- 17. Antheræ incumbentes.

Pist. Germen ſubrotundum, piloſum, ſemi-inferum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, obtuſum.

Per. Capſula turbinata, hirta, ſuperne emarcidis laciniis calycinis circumdata, unilocularis, apice trivalvis: valvulis ſemiovatis, acutis, patulis. Receptacula tria ſunt lineæ longitudinales tres ex ſundo capſulæ ad inciſuras valvularum excurrentes.

Sem. plurima, ovata, rugoſa, parva.

Calyx viret. Petala ſunt flava. Nectaria alba punctis rubris viridibusque variegantur. Hæc ab invicem leviter diſtant: interſtitia quælibet occupant erecta filamenta, quorum antheræ, ſtigmati ſic proximæ, pollinem tunc ſuum explodunt. Peracta fœcundatione, filamenta paulatim ſub fornices petalorum retrocedunt. Adanſonus petalorum nomine etiam nectaria ſalutat, & hinc decem omnino illa numerat. Ego Linnæano more laminas quinque parvas illas nectaria appellavi, parum ſollicitus, utrum nectar fundant. Neque enim magis peccare hic arbitror Linnæanos, ſi omne id, quod in flore præter calycem piſtillum ſtamina petalaque ſtricte ſic omnibus nota dictaque obſervant, nectaria nominant, quam alios, cum Adanſone idem qui maximam partem petalis adnumerant, quamvis figuram habeat his ſæpe diſſimillimam, ut in flore hujus plantæ obtinet. Utrumque ſane arbitrarii multum habet, naturæ conſentanei parum. Medium tenebunt beati, ſed invenerint. Menzeliæ generi mira affinitate accedit, mirumque iterum in modum ab eodem regreditur. Sata in Auſtriæ caldariis, provectior æſtatem ſub dio agit, ſeminaque perficit matura. Tabula plantam mediæ ætatis exhibet, in qua ſola ferme radix deſideratur, poſtea ramoſior evaſura. Feuilleus plantæ ſuæ corollam ſubtus ſaturate virentem & prona parte rubentem tribuit, foliisque ſitum oppoſitum. Capſulam quinquevalvem in meis plantis,

qua-

qualem Adanſonus prædicat, nunquam obſervavi; nec potui videre petalorum connexionem, quam idem auctor ſtatuit. Eſt itaque planta Feuilleana forte cum Adanſoniana eadem, ſed diverſa a mea.

RHAMNUS PENTAPHYLLUS.

RHAMNUS ſpinis terminalibus; foliis ternatis quinatisque.
Rhamnus ſiculus pentaphyllus. *Bocc. ſic. pag. 43. t. 21.*

Arbuſculæ rami glabri cinereique in ſpinas terminantur. Ex tuberculis ſparſis folia prodeunt terna bina quaternave aggregata & glabra; quorum petioli circiter ſemipollicares ſubmarginatique foliola ſuſtinent tria vel quinque, cuneiformia, obtuſa, longitudine inæqualia, intermedia petiolos æquantia, ſeſſilia, integerrima vel apice bifido trifidove. Drupa piſi magnitudine, ſubrotunda, nitida, & pedunculata, nucem oſſeam craſſam magnam & unilocularem continet. Specimen hujus fruticis ſiccum, ab ipſo Boccone collectum, fructigerum poſſideo. In flores inquirant autoptæ Siculi, ex quibus patebit, an genuina Rhamni ſit ſpecies dicenda.

GENTIANA PUNCTATA.

Tab. 39.

GENTIANA corollis campanulatis, ſexfidis ſeptemfidiſve, punctatis, verticillatis.
Gentiana corollis quinquefidis campanulatis punctatis verticillatis; calycibus quinquedentatis. *Linn. ſp. pl. 3. p. 329.*
Gentiana major purpureo flore prima. *Clus. hiſt. pag. 311.*
Gentiana major, flore punctato. *Baub. pin. 188.*

Caulis pedalis vel bipedalis, teres, glaber, digitumque baſi craſſus, recta aſſurgit ex radicis perennis ea parte, qua folia præteriti anni caput vel gemmam novam formaverunt. Illa, pro ætate varie

crassa, horizontaliter solet sub terra procedere, vel etiam oblique descendere, simplicissima aut in crura pauca divisa, foris flavescens, intus albicans, sapore amarissimo prædita. Basin caulis vestiunt squamæ vaginantes ore bifido trifidove. Folia sunt lato-ovata vel lanceolata (admodum enim latitudine variant), acuta, quinquenervia, integerrima, nitida, infra flores unum duo vel tria paria, attenuata veluti in petiolos, quorum oppositi quilibet oriuntur e vagina communi. Folia, quæ verticillis subjacent, breviora sunt, sedentque in nodo caulis. Flores brevissime pedunculati axillis insident utrinque terni quaterni vel quini, raro plures, & verticillos formant elegantes, qui ipsi foliis floralibus paucis brevioribus suffulciuntur. Verticillus summus terminalis plerumque e floribus numerosioribus componitur; & est hic in plantis minoribus sæpe solus. Alias in majoribus duo vel tres verticilli caulem decorant. Calyx laxus & campanulatus virescit, corolla triplo vel quadruplo brevior est, & superne in quinque sex vel septem lacinias acutas ita divisus, ut harum bases valde distent, sinusque interjecti sint omnino plani. Corolla basi excolor, cæterum purpurea est, totaque stigmatibus purpureis saturatioribus variegata spectatur. Divisam in sex ut plurimum, rarius in septem, nunquam in quinque lacinias inveni, etiamsi millenos flores inspexerim de industria. Stamina numerum laciniarum sequuntur. Antheræ in cylindrum adglutinatæ stylum ambiunt, uti fit in lutea purpureaque. Crescit copiosissime non solum in Austriacis, sed etiam in vicinarum provinciarum pratensibus alpinis; ubi passim a rusticis aliisque ad usum varium, videlicet ad vinum adustum gentianatum conficiendum, ad medicamina pro pecore, aliaque, eruitur ejus radix, cognita sub Gentianæ nomine. Ex icone clusiana plantæ non visæ habitum nemo sibi recte proponet; nec aliam figuram novi; quamobrem hanc concinnavi. Antea pro Gentianæ purpureæ habueram varietate, a qua vere differt. Punctatam esse suam dubitanti mihi asseruit in litteris clarissimus Linnæus, quocum communicaveram specimen siccum.

ZIN-

ZINNIA MULTIFLORA.

Tab. 40.

ZINNIA ramis villofis, numerofis; lateralibus primarium fuperantibus.

Zinnia floribus numerofis. *Linn. fp. pl. 2. p. 1269.*

Ex radice fibrofa & albicante caulis exfurgit ftrictus, teres, villis pubefcens, ad folis adfpectum rubens, cæterum pallide virens, duos tres quatuorve pedes altus, foliisque & ramis ad duorum circiter pollicum diftantias per totam longitudinem ornatus. Rami omnes ab extremis foliis apicem verfus paulatim incraffantur, ibidemque pedunculos formant fiftulofos, ftriatos, glabriufculos, & unum alterumve pollicem longos; quorum extremitati incraffatæ flos folitarius infidet. Cavitas pedunculi ad ufque apicem elongati receptaculi floris pertinet. Omnes rami ex foliorum alis oriuntur, & opponuntur mutuo; raro tamen oppofiti ulli eodem tempore elongantur; quum in exortu alter alteri fuccedere foleat, nec una exeant. Etiam laterales rami, pro variis plantæ nafcendi loco atque ætate, aut fimili fere modo fubdividuntur, aut fimplices perftant. Folia funt ex lanceolato oblonga, integerrima, acutiuscula, utrinque fcabra, fubquinquenervia, fubfeffilia, oppofita, & duos tresve pollices longa. Florum calyx ovatus nitidus totusque compacte imbricatus fit ex fquamis plurimis, oblongis, e fufco virentibus, apice concavo obtufoque fquamulam auctam mentiente. Corollæ inodoræ radius componitur ex flofculis a quindecim ad triginta numero variis, fœmineis, fertilibusque; quorum limbus obverfe ovatus, obtufus, integerrimus vel emarginatus, patentiffimus, perfiftens, colore fulget fuperne faturate coccineo, fubtus ex fufco flavicante, qui tamen fructificationis tempore mutatur utrinque in fufcum. Flofculi difci primo exteriores radioque vicini explicantur, & deinde fucceffive interiores excrefcunt. Fit inde, ut, fecuti receptaculi, cui inferuntur,

elongatam figuram, etiam ipſi ultra radium evexam pyramidem denique conſtituant. Sunt autem illi hermaphroditi omnes fertilesque; limbo infundibuliformi, diviſoque in lacinias quinque, breves, obtuſas, lineares, patulas, interne villis flavicantibus obſitas, extus fuſceſcentes. Stigmata his decolora, radialibus rubella. Paleæ ſunt hermaphroditis membranaceæ, apice fuſcæ, connivendo totum floſculum (limbo excepto) lateraliter includentes. Radii floſculis paleæ nullæ, nec ſeminibus pappus. Hermaphroditis autem pappus eſt ariſta unica, paleæ oppoſita. Ex ſeminibus Schemnitzii in Hungaria ſub dio Majo menſe terræ mandatis plantæ provenerunt, quæ a Iulii fine ad Novembrim flores, & Octobri ſemina matura dederunt.

MYAGRUM SPHÆROCARPUM.

Tab. 41.

MYAGRUM ſiliculis lævibus, globoſis, æqualibus; foliis auriculatis.

Ex radice albida, annua, ſubfuſiformi, digitumque craſſitie vix æquante, caulis exſurgit in ramos divaricatus. Hi angulati ſunt, pilis rigidis pungentibus reflexis ſcabri redduntur, & in racemos virgatos, primos ſimpliciſſimos longioresque, ſubſequentes ramoſos, abeunt. Folia ſunt ſubrotunda, venoſa, rugoſa, ſcabriuſcula, inæqualiter dentato-repanda; petiolis angulatis, ſuperne appendice utrinque unico auctis, quorum rarius alter, rariſſime deſideratur uterque. Flores corymboſi petala nivea calycesque flaveſcentes habent. Siliculæ fuſcæ, perfecte globoſæ, monoſpermæ, nitidæ, & æquales corpori cylindrico & ſterili inſident, in quo ſolido nullum potui loculamenti veſtigium detegere. Pedunculi pollicares in racemis elongatis laxe & inordinate diſponuntur. Planta hæc ad Linnæanas ſpecies Myagri referri non poteſt. Ad Myagrum hiſpanicum, mihi ignotum, accedit quidem proxime. Diverſum faciunt florum color niveus & ſilicularum articulatio nulla. Accepta, neſcio unde, ſemina Schemnitzii in horto

Ma-

Majo ſevi. Julio flores, ſeptembri & Octobri plantæ ſemina mutura dederunt. Figura exhibet plantam juniorem, in qua cum radice caulis pars brevis abſciſſa deſideratur.

TRIFOLIUM PANNONICUM.

Tab. 42.

TRIFOLIUM ſpicis villoſis, longis; corollis monopetalis; foliis integerrimis cauleque erecto villoſiſſimis.

Radix lignoſa, perennis, extus fuſca, craſſitie ferme digitali, fibris pluribus validisque aucta, junior caulem unum, adultior vero, facta multiceps, plures emittit pedales vel ſesquipedales, erectos, ſtriatos, leviter angulatos. Folia ternata, ex ovali oblonga anguſtaque, & integerrima, petiolo inſident orto ex ſtipula ventricoſa, caulem amplexante, & ſtriata, ſtipanturque utrinque ſtipulæ dente ſubulato. Sunt autem in eadem vel in diverſis plantis vel acuminata vel obtuſa cum emarginatione magis minusve profunda. Caulem terminat ſpica elegans ex ovato oblonga denſaque, compoſita ex floribus pollicaribus numeroſis, quorum tubus calycinus decemſtriatus colorem habet flaveſcentem, laciniæ autem, quas inter infima longiſſima, ſubulatæ vireſcunt. Corollæ albidæ, ob tubum connatum dictæ monopetalæ, vexillum oblongum planumque erigitur, eſtque alis patulis & carina multo longius. Floreſcente jam ſpica, ex ſtipularum ſuperiorum (infima enim folia jam tum emarcida perierunt) oppoſito ſinu novum conſimile folium prodit, quod pedunculus aut ramulus etiam floriger interdum ſequitur: ſed hos raro videre contingit, quum ſeram productionem plerumque præveniat falx meſſoris. Caulem, calyces, foliaque undique villi obſident albi, denſi, molles, & ſplendentes. Habitu convenit cum Trifolio rubenti, a quo præprimis diſcriminatur caule foliis calycumque ipſis tubis villoſiſſimis, foliis in ſtipula ſeſſilibus nullis, folioliſque integerrimis. A montano facile diſtinguitur florum ſpicæque forma. Creſcit copioſe in pratis declivibus & humidiuſculis Hungariæ inferioris circa pagum Siglisberg in vicinia Schemnitzii; ubi florentem vidi julio & Auguſto.

CYNOSURUS SICULUS.

Tab. 43.

CYNOSURUS ſpica diſticha, compreſſo-plana; ſpiculis alternis, ſeſſilibus, acutis.
Gramen filiceum, paniculis integris. *Bocc. ſic. pag.* 62. *tab.* 33.
Gramen paniculis elegantiſſimis, denſis; ſiculum. *Tourn. inſt.* 522.

Radix fibroſa plures culmos producit folioſos ſpithamæos ſimpliciſſimos leviterque flexuoſos. Folia ſubulata, acuminata, canaliculata, & longa duos plus minus pollices, oriuntur e vagina ſtriata. Culmos terminat ſpica erecta rigida & ſolitaria. Rachis media ſtriata ac flexuoſa lateraliter utrinque in ſinus alternos exſcinditur, quorum apices applanati receptacula ſpiculis præbent. Hi antice convergunt in acutum marginem; quo fit, ut inſidentes ſpiculæ mutuo illic incumbant; nec rachis appareat, quæ poſtice compreſſa latamque exhinc nacta ſuperficiem ſpectatur. Spiculæ lanceolatæ, compreſſæ, denſæ, numero vario a ſex ad octo utrinque cum terminatrice una imbricatim rachin veſtiunt. Componuntur ex floſculis utrinque quinque, ſex, vel ſeptem; quibus glumæ communis valvulæ carinatæ ſunt, acuminatæ, & æquales, corollæ valvula exterior calyci ſimilis, interior minor magisque obtuſa. Stamina ſunt tria. Tota planta eſt glaberrima nitensque. Cum Cynoſuro Lima Linnæi multa videtur habere, quæ congruunt; a quo ex Linnæana deſcriptione calyce præprimis diſcriminatur.

MELOCHIA FRUTESCENS.

Tab. 44.

MELOCHIA floribus ſubumbellatis, axillaribus; capſulis pyramidatis, pentagonis; angulis acutis; foliis tomentoſis; caule fruticoſo, erecto.

Characterem & deſcriptionem hujus plantæ exhibui in ſelectarum ſtirpium Americanarum hiſtoria pag. 193. num. 1. Conveniebat illi de-

determinatio Melochiæ tomentoſæ a Linnæo in ſyſtemate Naturæ data. Quum autem ex ultima ſpecierum editione intelligam, tribuere ipſum tomentoſæ ſuæ flores majuſculos pedunculosque foliis oppoſitos, eſſe oportet Melochiam meam ab illa atque adeo etiam aliunde a Linnæanis congeneribus omnibus diverſam. Quapropter iconem in ſancti Martini inſula ad vivum a me confectam hic edo, quo diſcrimen dignoſcatur facilius, ſtabiliaturque ſpeciei veritas. Quæcunque aſſerit Browneus de Melochia prima ſua, hæc cum mea congruunt. Eſt tamen ad diſtinguendam ſpeciem deſcriptio ipſius inſufficiens. Sloanei hiſtoria malvaceæ plantæ XV. quadraret etiam in meam, niſi herbaceam ſuam (poſtea naturæ ligneæ) diceret totamque terræ ſuperficiei undique incumbentem, qualem meam ego nuspiam inveni. Icon vero Sloaneana docet ſane nihil. Utriusque autoris ſtirpem Linnæus in tomentoſæ ſynonymiam aſſumpſit.

SIDA FILIFORMIS.

SIDA foliis cordatis; capſulis multilocularibus, inflatis; ramis filiformibus, procumbentibus.

Creſcentem inveni hanc Sidam in Martinicæ rupibus gramine veſtitis juxta viam, quæ ab oppido ſancti Petri ad vicum Carbet ducit. Pedunculi ſunt ſolitarii, uniflori, axillares, & tenuiſſimi. Corollæ flavæ. Capſulæ inflatiſſimæ. Rami omnes herbacei & filiformes inter gramina toti decumbunt. Habitum reliquum notare neglexi.

SIDA MULTIFLORA.

Tab. 45. fig. 1.

SIDA foliis oblongo-lanceolatis, dentatis, tomentoſis; capſulis multilocularibus, depreſſis.

Frutex erectus ramis fuſcis tomentoque obſcure luteſcente exaſperatis. Ramuli alterni, folioſi, ſtricte patuli, axillares, intermedii bipollicares. Folia unum alterumve pollicem longa, petiolata, utrin-

que tomentosa, subtus leviter incana, acutiuscula, æqualiter dentata, ex oblongo lanceolata, rugosa. Pedunculi filiformes, rigidi, semipollicares, uniflori, aggregati in extremitatibus ipsis ramulorum brevissimorum, qui ex ramulis alternis modo memoratis & ex eorundem alis exeunt, & in foliorum hos ornantium axillis. Calyces tomentosi, semiquinquefidi. Fructus asperiusculus, radiatus, depressus, calyceque brevior componitur ex capsulis octo plerumque vel novem monospermis & acutis. In ramo spithamæo ultra centum & quinquaginta flores numerantur. Crescit in Antillis.

CASSIA HERPETICA.

Tab. 45. fig. 2.

CASSIA foliis circiter decemjugis, oblongis, apice rotundatis; siliquis membranaceis, quadrangulis, fragilibus, rigidis.

Cassia siliquis quadrialatis, spicis terminalibus; foliis plurimis pinnatis, majoribus obovatis. *Brown. hist. jam. 9. pag. 224.*

Juglandis folio, fruticosa siliquosa foliis pinnatis costa media membranulis utrinque extantibus alata, siliqua quadrangula. *Sloan. hist. jam. 2. pag. 59. tab. 175. fig. 2.*

Cassiarum hæc elegantissima in Martinica vulgaris occurrit, præsertim in locis humidis, pascuis udis, & ripis fluviorum. Radix perennat, sub terra extenditur, & quotannis Augusto mense sylvulam emittit caulium erectorum, qui Decembri subsequente flores producunt. Pascuis semel inducta, difficulter in posterum ob radicum virtutem propagandi extirpatur; unde sæpe invisa incolis est. Caulis a tribus ad sex septemve pedes altus, parum ramosus, angulatus, glaber, virescens, medulla alba plenus, & annuus ornatur foliis pinnatis decemjugis plerumque vel duodecimjugis. Foliola sunt oblonga, obtusissima cum exiguo acumine, integra, glabra, dorso venis adscendentibus subparallelis notata, brevissime petiolata, opposita, tres quatuorve pollices longa, interiora multo breviora, terminalibus obova-

tis.

tis. Costa pedalis vel sesquipedalis, striata, glabra, medullam continens, antice plana, ibidemque margine utrinque extante tenui aucta. Flores magni, inodori, & flavi racemos in caulis ramorumque extremitate formant amplissimos erectosque. His succedunt siliquæ atræ, membranaceæ, fragiles, exsuccæ, tres aut quatuor pollices longæ, in quatuor acutos tenuesque angulos sive alas æqualiter excurrentes, semina continentes numerosissima nigra cordiformia acuta planaque. Galli *Dartrier*, Angli *Ring-worm Bush*, sive Herpeticam appellant, quia tusa juniora folia cutique imposita herpetes curare atque abigere feruntur. Est autem a Cassia Linnæi alata diversissima species. Sata in caldariis Cæsareis millena semina germinarunt rarius. Unicam vidi plantam tripedalem in racemo imperfecto morbosoque paucos flores produxisse, brevique interiisse. Partium facit magnitudo, ut ne, vel atlantica sic dicta forma, apto exprimi iconismo ramus floriger possit. Figura mea folii partem mediam repræsentat.

CONVOLVULUS HAVANENSIS.

Tab. 45. fig. 3.

CONVOLVULUS foliis oblongis, nitidis; pedunculis unifloris; caule volubili.

Planta herbacea, ramosissima, altitudinis humanæ, totaque glabra habitat in frutetis littoralibus circa Havanam non infrequens. Caules sunt volubiles teretesque. Folia numerosissima, alterna, petiolata, ex lanceolato oblonga, obtusa, nitida, semipollicaria, in umbrosis tamen pollicem sæpe superantia. Pedunculi foliis duplo breviores florem gerunt parvum, albidum, atque inodorum. Tubus corollæ vix est calyce longior, limbus autem semierectus in lacinias lineares longas acutas & reflexo-patentissimas dividitur. Antheræ sunt hastatæ. Character reliquus omnino Convolvulorum Linnæanus est. Icone florem pedunculatum, foliumque petiolatum exhibui.

PASSIFLORA ROTUNDIFOLIA.

Tab. 46. fig. 1.

PASSIFLORA foliis ſubtrilobis, obtuſis, ſubrotundis. *Linn. ſp. pl. 15. pag. 1357.*

Granadilla folio hederaceo, flore albo, fructu globoſo villoſo. *Plum. ic. 138. f. 1.*

Carthagenæ indicæ in ſylvis frequentiſſime invenitur. Folia ſunt glaberrima, petiolata, integra; lobis rotundatis, breviſſimis, ſingulis acumine ſubulato auctis. Glandulæ in petiolis ſunt nullæ. Subtus autem utrinque ad latus internum nervorum lateralium puncta glanduloſa numero ſex ſeptemve ſerie longitudinali locantur. Petiolorum latus claudunt ſtipulæ duæ, ſubulatæ, acuminatæ, nitidæ, caulem amplexantes, & cornua bovis figura referentes. Cirrhi longi, tenues, & axillares. Pedunculi ſolitarii, axillares, longitudine foliorum. Flores inodori, magnitudine mediocres. Involucrum triphyllum; foliolis ovatis, concavis, parvis, firmis, ſplendentibus, glabris, cum levi virore ſubluteis. Petala alba, calyce duplo breviora. Nectarium multifidum, flavum. Bacca ſubrotunda, parva, exſucca. Figura exhibet folii paginam adverſam, ut puncta glanduloſa appareant. In plurimis foliis lobus medius eſt vix notabilis.

PASSIFLORA SERRULATA.

Tab. 46. fig. 2.

PASSIFLORA foliis trilobis, ſerrulatis; petiolis in medio biglanduloſis.

A Paſſiflora incarnata Linnæi eſt hæc diſtinctiſſima. Folia enim ſunt denſe ſerrulata, nec laxius ſerrata; minora; obtuſiora; paginis lateralibus ad petiolum uſque productis, nec, uti in incarnata, baſi ad nervos laterales uſque deficientibus. Glandulæ duæ concavæ alternatim medietatem petioli occupant; nec, ſicut in illa, in ſuprema petioli

tioli parte nervos laterales suffulciunt. Tota planta glabra eſt, & cirrhis axillaribus ſcandit arbores. Florum calyx & corolla ex purpureo albeſcunt; involucrum triphyllum integrumque viret; nectaria alba ſunt, purpurea, & atro-purpurea. Floris diameter duorum cum dimidio pollicum eſt; odor autem ſuaveolens & gratiſſimus. Creſcentem vidi in ſylvis Carthagenenſibus.

PASSIFLORA NIGRA.

Tab. 46. fig. 3.

PASSIFLORA foliis trilobis, glabris, margine villoſo-ſcabris, integris; lobis ovatis, acutis.

Planta cirrhis ſcandens. Folia utrinque glabra; ſed margo ad motum digitum ſcaber eſt, & ad oculum villis breviſſimis albidisque ornatus, qui microſcopio ſpectati e minimis denticulis orti deprehenduntur. Lobus medius duplo eſt lateralibus major. Folia baſi nec peltata ſunt, nec cordata. Petiolus villoſus infra paginæ baſin ad utrumque latus habet glandulam oblongam erectamque. Baccæ ſunt parvæ, globoſæ, nigræ, & ſucculentæ. Vidi creſcentem in Bocca chica in territorio Carthagenenſi. Figura repræſentat folia variantia, & partem marginalem folii microſcopio auctam, ut villorum conſpiciatur forma.

CINCHONA CARIBÆA.

Tab. 47.

CINCHONA pedunculis unifloris. *Jacq. hiſt. amer. pag. 61. tab. 179. fig. 95. Linn. ſp. pl. 2. pag. 245.*

Periclymeno recto accedens arbuſcula Virginiana ſiliquoſa. *Plukn. alm. 288. tab. 103. fig. 3.*

Loco citato deſcriptionem hujus plantæ fructusque delineationem dedi; hic ramulum exhibeo florentem. Deſcriptioni addi poſſunt

 ſunt

ſunt ſequentia. Uti charactere, ita habitu etiam congruit hæc Cinchona cum officinali, dempta ſcilicet differentia ſpecifica. Inter petiolos locantur ſtipulæ latæ acutæque, ſicuti in officinali. Corticis lignoſi color cinereus idem. Foliorum ſimilium ramorumque oppoſitio eadem. Fructuum (quos Linnæus tamen in officinali ſubrotundos & a baſi verſus apicem dehiſcentes contra veritatem ſpecimi num, quæ poſſideo ego, aſſerit,) ſimilitudo tanta, ut ægre diſcerni mixti queant. Corticis idem ſapor. Corollæ limbus & ſtaminum longitudo ſunt diverſa. Pedunculi vel opponuntur, vel ſæpius in alterutro dumtaxat latere ex alis foliorum exeunt. An non cortex in uſu medico eadem forte virtute polleat, quam tanto cum humani generis emolumento eſſe novimus in officinali? Si hoc ita ſit, an non pretium hujus corticis inde diminutum iri exſpectari poſſit? Meretur ſane rei utilitas, ut medici, quibus occaſio eſt, periculum faciant.

ANTIRRHINUM PILOSUM.

Tab. 48.

ANTIRRHINUM foliis alternis, ſubrotundo-reniformibus, piloſiſſimis; caulibus procumbentibus.

Linaria hederaceo folio villoſo, ſeu Cymbalaria alpina. *Tourn inſt. 169.*

Deſcriptio & icon plantæ ex ſicca, quam poſſideo, deſumptæ ſunt. Caules procumbentes, numeroſiſſimi, denſe ſibi invicem intertexti, inferiores lignoſi nudique, cæterum piloſi, omnes filiformes, folia gerunt longe petiolata, inordinate alternantia, piloſiſſima utrinque, ex ſubrotundo reniformia, in ſeptem novem aut undecim lobos crenatos obtuſoſque diviſa, parva, numeroſa. Ad baſin petiolorum, nec tamen omnium, ſtipula rigidiuſcula conſpicitur, quæ forte radicula eſt, qua terræ vel ſaxis accreſcit. Pedunculi ex alis foliorum exeunt ſolitarii, tenues, uniflori, petiolorum longitudine, piloſi, filiformes. Calyx ſemiquinqueſidus, acutus, piloſuſque perſiſtit. Corollam in flore ſiccato minimo bene extricare non valui. Stylum vidi te-

tenuem. Capſula ſubrotundo-ovata, bilocularis, longitudinaliter bivalvis, valvulis apice bifidis, obtuſa, piloſaque, continet ſemina utrinque circiter decem, fuſca, & diſſepimento affixa. Fructus ergo Antirrhini eſt, quo ſub genere eo militare magis videtur, quod villoſitate foliorum ſola diſtinxerit illam a Cymbalaria vulgari Tournefortius.

GENTIANA PUMILA.

Tab. 49.

GENTIANA corolla quinquefida, infundibuliformi; caulibus unifloris; foliis æqualibus, lanceolato-linearibus, acutis. *Jacq. vindob. obs. 18.*

Gentianæ bavaricæ folia omnino congruunt cum foliis Gentianæ vernæ, ut vix diſtingui poſſint, nec ſunt his multo acutiora, ſiquidem reliqua individua cum ſpeciminibus, quæ in herbario meo habentur, conveniunt. Diſcriminatur itaque Gentiana pumila a dicta utraque foliis radicalibus, non minus quam caulinis, ex lanceolato linearibus anguſtioribus & acutioribus; tum etiam a bavarica ſola corollis vix ſerratis. Ab aphylla differt foliorum præprimis præſentia; a Linnæanis congeneribus reliquis, quibus corolla identidem infundibuliformis quinquefida eſt, caulibus perpetuo unifloris. Diverſiſſimam igitur conſtituit ſpeciem. In tabula exhibui varium hujus Gentianæ habitum, quo in alpibus Auſtriacis occurrere ſuevit. Germen apice bifidum duos emittit diſtinctiſſimos & filiformes ſtylos, qui, increſcente in fructum germine, petalo emarcido ſæpe egrediuntur. Deſcriptionem vide reliquam loco citato. Gentianæ bavaricæ iconem tabula ſeptuageſima prima exhibebit.

FICUS POLYCARPOS.

FICUS foliis lanceolato-oblongis, obtuſis, integerrimis; pedunculis aggregatis; caule arboreo; ramorum radicibus nullis.

Elegantem hanc Ficum vidi creſcentem in locis ſaxoſis & rupeſtribus inſulæ Curaçao nec non agri Carthagenenſis. Habitu & folio-

liorum volumine Oleam refert mediocrem. Truncus erectus & aequalis comam sustinet concinnam, compositam ex ramis, qui nullam radicem emittunt. Fructus piso duplo triplove majores, rubelli, dulces, apud Barbaros edules, totos densissime ramulos obsident.

FICUS CARIBÆA.

FICUS foliis cordato-ovatis, acuminatis, integerrimis; pedunculis simplicibus.

Arbor haec saepe vasta in insulis Caribaeis frequens occurrit, in aliis arboribus rupibusve parasitica. Folia sunt basi cordata, caeterum ovata, in breve acumen abeuntia, nitidissima, semipedalia. Fructus subglobosi, insipidi, diametro pollicem aequant.

HIERACIUM SAXATILE.

Tab. 50.

HIERACIUM caule ramoso, glabro; foliis omnibus lineari-lanceolatis, acuminatis, dentatis; radicalibus basi pilosis.
Hieracii porrifolii varietas. *Linn. sp. pl. 16. pag. 1128?*

In rupestribus apricis proxime pago Medlingensi atque alibi etiam in Austria inferiore inveni hanc porrifolium inter murorumque Hieracium mediam veluti plantam. Radix plus quam annua fusca & fibrillis numerosis aucta caulem plerumque solitarium emittit; qui teres, glaber, semipedalis vel etiam bipedalis, foliis paucissimis vel contra plurimis ornatus, superne dividitur in pedunculos aliquot subramosos subsquamatos elongatosque. Folia sunt ex angusto lanceolata, acuminata, in medio argute dentata, glabra, subtus glaucescentia, superiora sessilia, inferiora & radicalia in petiolos semiamplexicaules marginatos longos pilisque albis praecipue ad ortum ciliatos attenuata, caeterum ejusdem figurae omnia. Calyx ferme glaber est. Ab Hieracio murorum differt foliorum radicalium angustia & glabritie, latitudine vero ac dentibus a porrifolio. A Linnaeanis conge-

neribus mihi videtur ſpecie vere diſtinctum. Tabula repræſentat ſpecimen maximum ramoſiſſimum ac folioſiſſimum; cui adſtat planta ex minoribus, caule unifolio trifloroque, foliis radicalibus plurimis hic una cum floribus ob ſpatii defectum in delineatione omiſſis.

ARENARIA MUCRONATA.

ARENARIA &c. *Linn. ſp. pl. edit. prim. 10. pag. 424.*
Alſine &c. *Linn. ſp. pl. edit. ſecund. 2. pag. 389.*

Examinavi anno elapſo innumeros hujus plantulæ vivos flores, & conſtanter decem ſtamina fertilia numeravi, quorum alterna quinque erecta circumſtabant germini, reliqua quinque patula petalis accumbebant. Eſt itaque in ſyſtemate Linnæano ad Arenarias revocanda hæc planta. Culta in horto ramoſiſſima & ſesquipalmaris evadit.

Eſt etiam præterea in enumeratione mea ſtirpium agri Vindobonenſis loco Aconiti Napelli ponendum Aconitum Cammarum Linnæi; pro Saxifraga autumnali Saxifraga aizoides; ac pro Digitali purpurea Digitalis lutea quoad Linnæanam quidem determinationem, ſed forte a Linnæanis hujusce ſynonymis diſtincta planta, ita ut plures ſint Digitales luteſcente corolla, quæ, diverſæ a purpurea, inter ſeſe etiam ſpecie differant. Phyteuma quoque ibidem comoſum in orbiculare mutetur, & Stipa juncea in capillatam. Porro addendæ veniunt ſtirpes in eodem agro ſponte naſcentes, quæ ſequuntur. Alopecurus paniceus, Phalaris phleoides, Feſtuca ovina, Potentilla opaca, Saxifraga androſacea, Ranunculus illyricus, Eryſimum repandum, Lythrum Hyſſopifolia, Selinum Carvifolia ſed involucri foliis dumtaxat patentibus nec reflexis, Ophrys ſpiralis, Hieracium ſaxatile, Lemnæ gibba & polyrrhiza, Orchides ſambucina & incarnata, Cynogloſſum germanicum. Hoc, ſtaminibus corolla duplo brevioribus, foliis lanceolatis ſcabris, & racemis ſtrictis ſimpliciſſimisque determinatum, a congeneribus diſtingui poſſe, arbitror. Habitu inter officinale & virginianum ambigit, racemorum ſimplicitate imprimis diver-

ſum, Idem Nordheimi carptum clariſſimus mecum Willigius communicavit. Dixi itaque germanicum. Stirpibus Auſtriacis adnumerandæ inſuper veniunt, a nobiliſſimo viro Mygindo noviter detectæ, Zannichellia paluſtris, Aconitum Anthora, Hyſſopus officinalis, Elvela acaulis, Triglochin maritimum, Clathrus nudus, Orchis coriophora, Sedum atratum, Ononis antiquorum, Verbaſcum Thapſi. Invenit etiam ad Danubii ripas Stratioten aloidem Franciſcus Joſephus Lipp Medicinæ ſtudioſus.



T. 26.



Beurreria succulenta.



Ægiphila martinicensis.





Convolvulus dissectus.

T.29.




Scutellaria havanensis.

T. 30.



Teucrium cubense.



Euphorbia graminea.



Barleria hirsúta.



Asclepias quadrifolia.

T. 34.



Saxifraga orientalis.




Raüvolfia tomentosa.



Ipomæa eustachiana.



Campanula barbata.







Loasa urens.







Gentiana punctata.





Zinnia multiflora.





T. 41.



Myagrum sphærocarpum




T. 42.



Trifolium pannonicum.



Cinosurus siculus.




Melochia frutescens.


T. 45.
fig. 1.
fig. 2.
fig. 3.

T. 46.













Cinchona caribæa.



Antirrhinum pilosum.



T. 49.



Gentiana pumila.



Hierac m saxatile.

